

Taubmann.

axiomate

approbatum semel reprobari non potest 118. 13
quod semel placuit amplius displicere non debet 129. num. 4.

1 In
2 Ge
3 Sve
4 Jan
5 Mo
6 Ke
7 Ey
8 La
9 Wa
10 Na
11 f2
12 R
13 W
14 E
15 B
16 A
17 Ra
18 W
19 A
20 f
21 /
22 2
23 2
24 f
25 f
26 2
27 M
28 M
29 2
30 2
31 f
32 f
33 B

Leh.

9

M.M.

6

10

44 1239

DISPUTATIO JURIDICA
De
RETORSIONE,

Quam
DEO ET MAGNIFICO JCTORUM OR-
dine, in almâ Leucoreâ annuentibus,

SUB PRÆSIDIO
DN. HENRICI COSELII J. U. D.
Facultatis Juridicæ Assessoris nec non Curiae Electoralis
Advocati ordinarij, Præceptoris & promotoris
sui venerandi

proponit
Publicè examinandam
In Palæstra Jctorum

GODOFREDUS Herwig Ascaniensis.
ad diem Novembris.


WITTEBERGÆ
Ex officinâ Typograph. MICHAELIS Wendt/
ANNO M DCXLIX.

42

XVIII

Guberna Hallucinantem Altissime!

Præloquium.



Um grave sit admodum, fatente Seneca, & difficile injuriam continere cum patientiâ; & tamen nullum ferè vitium frequentius eadem seculum nostrum videat, salubria injuriâ onerato & præclara media, quibus famam atq; existimationem adversus injuriam inferentem tueri possit ac defendere, LL. ostendunt; Quia verò in l. 1. §. 1. D. de Injur. Injuria reperitur duplex: *Realis* nimirum & *Verbalis*; Sedet animo *Remedium Retorsionis*, quo injuria verbalis in ipsum met injuriantem propellitur, in præsentiarum considerare & *Retorsionis materiam* aliquot thesibus inclusam, publicæ disquisitioni committere; idque non temerè vel nullius finis gratiâ; tale enim quid suscipiens à Scaligero Exercitat. 61. §. 5. pro insipiente habetur: Sed cum veritatis (quam denegari non est bonum F. 1. 2. 23. in fine, quæq; ex multâ disputatione, quæ res necessaria est l. 2. §. 5. D. de Orig. Jur. magis splendescit in lucem) investigandæ, tum ingenij, extremæ tenuitatis claustris constricti, excolendi causâ. Antequam autem ulterius provehar, de methodo cogitem & ordine necesse est. In omnibus enim rebus iste plurimum habet momenti, Everhard. in loc. Topic. ab Ordine n. 1. Quandoquidem ut Bl. in Epist. de ratione & meth. Jur. doc. ad Antecess. in pr. refert, scire quid facias, & nescire quo ordine facias, non est perfecta cognitionis. Exhibebit igitur aliqualem nobis hic versiculus: *Quid, quicumq; adversus quos, cur, quomodo, quando, nempe videbimus* I. Retorsionis definitionem. II. Personas, quæ Retorsionem usurpare possunt. III. Personas, adversus quas ea suscipi possit. IV. Finem & Effectum. V. Formam Retorsionis. VI. Tempus. Hisce præmissis IN NOMINE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI l. 2. princ. C. de offic. præf. prætor. exordimur.

A 2

THES.

Retorsio (a) est legitima (b) injuriæ verbalis in ipsummet injuriantem (c) propulsatio, honoris (d) tuendi causâ in continenti (e) propriâ autoritate (f) facta.

A.

(a) Huic vocabulo, licet, *asserentibus nonnullis Interpp.* illud in nullo latinitatis Autore reperiatur, communi usu passim recepto, locus non immeritò in Jurisprudentiæ theatro conceditur; præsertim quod non tam verba & nomina quàm res ipsæ in considerationem venire debeant *l. si quis ita 3 §. conditio legati 9. ibi: Sed melius est D. de adimend. vel transf. leg. l. 3. C. de Lib. præter. (b) l. 3. D. de Just. & Jur. ibiq. Dd. communiter.* Sicut enim vim vi repellere *l. 1. §. 27. D. de vi & vi armata:* Sic injuriam rectè licet retorquere, quia meritò est ei ignoscendū, qui provocatus injuriā retorfit *l. qui cum major 14. §. Si libertus 6. D. de Bonis libert. & ferendus est, qui pudorem suum purgat l. 25. D. de procurat. Berens diss. 14. th. 2. q. 6.*

B.

cum tolerabilior sit oculorum amissio, quam famæ, *l. 8. C. de decurionib. notante Schneidew. ad §. 4. Instit. qui & quibus causis manum. non pos.* curanda igitur non minùs fama, quàm ipsa vita; causa quippe vitæ & famæ æquiparatur *l. 9. D. de manum. vind.* Vitæ & corporis tutandi causâ quemvis aggressorem jure permissum est non tantùm vulnerare, sed etiam prorsus occidere *d. l. 3. de Just. & Jur. l. 45. §. 4. D. ad L. Aquil. Ordin. Crim. Carol. V. Artic. 139. & seqq. Berlich. p. 4. Concl. 12. n. 1. & 2. E.* etiam existimationem & honorem suum retorsionis remedio jure permissum erit defendere ac tueri *Harprecht. part. 2. diss. 12. th. 1. lit. a. Excellentissimas Dn. D. Sævus Præceptor de venerandus th. Justin. velit. 15. th. 8. lit. d. (c) qui benedictis si certasset, audisset benè, Terent. in proleg. Phorm. Non enim, qui non honoravit, honorem meruit, juxta illud Lucij Crassi ad Philip. Ego Te Consulem putem, cum tu Me non putes senatorem? huc facit tritum illud & in medio positum: qui, quæ vult, dicit, quæ non vult audiet, Ter. in Andr & Senecæ: ab alio expecta, quod alij feceris (d) hinc apud Plaut. in Mostell. sapientissima vox est illa:*

C.

Sævus Præceptor de venerandus th. Justin. velit. 15. th. 8. lit. d. (c) qui benedictis si certasset, audisset benè, Terent. in proleg. Phorm. Non enim, qui non honoravit, honorem meruit, juxta illud Lucij Crassi ad Philip. Ego Te Consulem putem, cum tu Me non putes senatorem? huc facit tritum illud & in medio positum: qui, quæ vult, dicit, quæ non vult audiet, Ter. in Andr & Senecæ: ab alio expecta, quod alij feceris (d) hinc apud Plaut. in Mostell. sapientissima vox est illa:

D.

PHT

1243.
illa: Ego si bonam famam mihi servasso, sat ero dives; unde cautela ex vulgari isto disticho notissima:

Omnia si perdas famam servare memento,

Qua semel amissa postea nullus eris.

(e) l. 3. §. 9. l. 17. D. de vi & vi armata l. 12. §. 1. D. Quod met. & caus. (f) hinc patet, quod injuriæ affectus usus semel remedio retorsionis, judiciali gaudere imposterum possit minimè. Frustrà quippe judicium postulat incivilitèrque apud judicem conqueritur, ipse qui sibi judex exstitit l. 37. in fin. D. de Minor. Vid. Dn. Carpz. Jurisp. F. R. S. part. 4. c. 46. d. 10. & Dn. D. Sprevus d. velit. tb. 14. lit. G. nec non plura tb. 7. lit. a.

II.

Quæ tamen, ut defensionis (quæ juris naturalis est) species sit (a) statuto aut jure civili tolli potest (b)

(a.) adeoque jure civili vel statuto non posse videatur tolli *A.*
arg. §. pen. Inst. de I. N. G. & C. l. 1. §. cum arietes D. si quadr. paup. sec. dic. (b.) quanquam enim Retorsio quædam ~~est~~ defensionis, quæ per *B.*
se, in thesi & generaliter considerata juris naturalis est inventum, est species; tamen *in hypothesi & speciali æquitatis ratione suadente*, quin prohiberi possit, nihil obstat. Pone, esse in aliquâ civitate aut provinciâ tantam Retorsionum importunitatem & copiam, ut earundem occasione lites ultra modum multiplicentur, tumultus oriantur, rixæ infinitæ, imò non rarò etiam cædes pronascentur; anne tollatur Retorsio melius erit penitus, quam detrimentum patiatur Respublica haud exiguum? Amputari enim debet occasio delinquendi & præseindi *arg. l. 6. C. unde vi.* Competit nihilominus naturali & primævo gentium juri ille divinæ providentiæ stylus & inde consequens immutabilitatis privilegium *d. §. penult. Instit. de I. N. G. & C.* neque unquam in totum tolli illud potest, licet declarationem, determinationem & modificationem admittat l. 4. & l. 5. D. de Just. & Jur. Vid. Ampliff. Dn. D. Sprevus Præceptor honorandus in prælect. publ. obs. 15. de privileg. Jur. nat. Statuto verò sub certâ poenâ prohibente alteri dicere: *Tu mentiris, Retorsio non censetur interdicta, quia hæc mentita, ut barbari loquuntur,*

A 3 barbari species,

species, quæ ad defensionem proprii honoris alteri impingitur & ad propulsationem injuriæ; puta, si quis alteri dicat quod sit *fur vel latro*; & ille extemplo regetur: *Tu mentiris*, justa est ac legitima, ut *ch. i. lit. b.* demonstratum; illa verò, quæ non ad injuriæ propulsationem, & per quam nulla præcedente provocatione, mendacium alicui impingitur: veluti si asserenti cuiuspiam, Titium in Sempronij ære amplius haud esse: sed debitum eidem solvisse omne; alter dissentiat dicens: *Tu mentiris* quod ille solverit, adeò prohibita est, ut ne quidem alicui dicere liceat *Tu mentiris salvo honore vel salvâ reverentiâ tuâ*; diß ist ohne Verletzung deiner Ehre erlogen und nicht wahr! *Gail. 2. observ. 101. n. 3. & seqq. Riemer. dec. 12. contr. 9. Consultiss. Dn. D. Taubmannus in Colleg. Instit. publ. disp. 17. t. 4. de Injur. q. 3.* Ratio in promptu est: quia protestatio ista facto contraria nihil operatur *l. 21. in pr. D. de acquir. vel omitt. hered.* atqui hæc protestatio est talis *c. sollicitudinem 54. in fine X. de Appellat. E.* nullius est momenti *Berlich. par. 5. Concl. 59. n. 53. cum seqq. Concl. 64. n. 4. & seq.* imò est planè Ironica, contumeliam magis augens *Harprecht. ad §. 1. Instit. de Injur. n. 78.*

III.

Cum defensio nemini, utpote quæ juris naturalis est (a) deneganda sit; *Retorsionis adminiculum* minorem 25. annis (b) filium familiæ (c) patrem & maritum (d) & de portatum (e) salvum habere asserendum est.

- A. (a) *c. Jus naturale dist. 1. clem. pastoralis 2. §. Cæterum, de sentent. & re judic. Gail. lib. 2. de PP. c. 12. n. 16.* (b) *arg. l. 1. §. 11. D. si quadr. paup. fec. dic. neglectis etiam curatoris autoritate & consensu. In ijs enim in quibus non deterior fit minoris conditio, curatoris autoritas sine consensu non exigitur pr. Instit. de Autor. Tut. l. 28. D. de pactis Vid. Dn. Presid. Enodat. l. 5. D. de R. I. verb. final. & licet prohibeatur à defensione judiciali, si eam suscipere Curatoris sine autoritate velit l. 1. & l. 2. C. Qui legit. pers. stand. in judic. hab.; tamen Extrajudicialis hæc defensio denegari hanc ob causam ei*

1295.

fam ei non potest. Omni enim lationis periculo, quod metuen-
dum in illâ sapenmerò est, hæc vacat, & solummodò favorem
minoris ac utilitatem, (ut paulò ante dictum) concernit *Berlich.*
d. l. n. 10. (c) patre etiam dissentiente, ; & ratio est, quia patria po- **C.**
testas, quæ juris Civilis est §. 2. *Instit. P.P. Retorsionem* defensionis
speciem, quæ juris naturalis est semper & ubiq; & quidem absque
sufficienti ratione impedire non potest §. *fin. Instit. de Legit. agnat.*
Tut. Vid. Harprecht. §. 12. Instit. de Injur. n. 151. (d.) suo §. 2. *Inst. de D.*
Injur. l. 1. §. 3. l. 18. §. fin. l. 41. D. eod. non autem filij vel uxoris no-
mine l. 43. *D. de V. O.* facit huc c. 1. 2. & 3. *cum seq. de purgat. Ca-*
non. (e.) l. 6. *D. de Interd. & relegat. l. 1. C. de hered. Instit.* ; Non au- **E.**
tem ab Imperatore vel alio Principe proscriptus sive Bannitus ;
quia ubi licita est offensio, ibi prohibita est defensio l. 4. *C. de his*
qui ad Eccles. confug. & quando quis licitè offendit, quod alter in-
justè resistat, necesse est. Patet hoc ex natura contrariorum.
Cum enim aliquid permittitur, necesse est ut ejus oppositum pro-
hibeatur: ast Banniti persona & bona cujusvis offensionis & præ-
dæ subjecta sunt & exposita *Ordin. Cameral. part. 2. t. 9. ibi* ; *Collen-*
des oder derselben Leib vnd Gut allermanniglich en erlaubet seyn &c.
ipseq; securitate viæ publicæ commerciorum & commeandi exu-
tus omni est *Theodor. in Coll. Crim. disp. 11. th. 4. lit. a. q. 2. ibi* ; *de*
Bannitis queritur, E. nequaquam Bannitus defensionis remedium
factum habebit atq; tectum.

IV.

Non autem procurator constitutus ad agendum
actione injuriarum hæc omisâ principalis nomine
Retorsionem usurpare potest (a) neq; is cui verum cri-
men objectum est (b) neq; infamis (c).

(a) quia mandati fines, qui mandatum exequitur excedere **A**
non debet §. 8. *Instit. Mandat. l. 5. in pr. l. 41. D. Mandati*; licet is
generale mandatum ad omnia negotia Domini expedienda habeat
l. 15. §. 26. *D. de Injur. Berlich. part. 5. Concl. 64. n. 16.* ; à speciale
verò mandatum habente dubium est nullum, quin *Retorsio* inter-
poni

poni possit. Expediti enim juris est omnia negotia tam judicia-
lia quam extrajudicialia per procuratorem *arg. l. 1. §. 2. l. 42. §. 1.*

- B. *D. de procurat. l. 11. §. 2. D. de Injur. expediri posse (b)* Objiciens enim tale crimen non mentitur. Nam mentiri est scienter falsum dicere & intendere *l. 1. §. 1. ad SCt. Turpill.*, quod hic deficit. Objectum siquidem crimen fuit verum. E. Retorsio adhiberi non potest; Hâc ratione etiam falsum ei crimen excipiendo objiceretur, quod jure vetitum *l. 19. C. qui accus. non pos. c. veniens 6. de jurejur. Vid. Dn. Carpz. d. l. def. 11. n. 9. (c)* nisi gravioris infamiae, quam quâ condemnatus antea fuerat, falso in simuletur *Harprecht. d. l. n. 181. una enim infamia alterâ censetur gravior l. 17. C. de In-offic. testam.*

V.

ipse ventem

Remedium hoc Retorsionis regulariter adversus omnes (a) qui injuriam verbalem intulerunt, siue sint viles & humiles, siue egregiae & in dignitate constitutæ personæ suscipi potest & interponi (b) hinc nō abs re dubitatur, utrū nimir: à Vasallo adversus Dn. Feudi (c) & adversus mandantem inferentem injuriam exerceri justè possit (d)?

- A. (a) quia est quædam, ut *thesi 3. lit. a* dictum, defensionis
B. species, ac propterea certo respectu juris naturalis. (b) *l. fin. C. de Injur.* ubi personæ quoq; illustres injuriarum conveniri possunt
C. & *vid. c. 3. vers. si verò Clericum, de sentent. Excommun.* (c) Aff. per rationem in hac ipsa th. jam lit. a. allatam. Quare quamdiu jus singulare non apparet, tamdiu standum est regulæ *l. 5. D. de probationib.* Deinde Dn. Feudi, injuriam Vasallo inferens, peccat contra consuetudines feudales, ut ipse Vasallo in omnibus vices reddat præcipientes *2. F. 6. de form. fidel. nemini autem proficua potest esse lex illa, cujus tenorem & vim ipse non observaverit l. 37. in fin. D. de Minorib. l. 39. D. solut. Matrim. Vid. Schrader. in tract. Feud. part. 9. c. 4. n. 114.* (d) quia ille ipse, qui mandavit vel procuravit alteri injuriam fieri, intelligitur eam fecisse *§. 11. l. 11. in pr. §. 3. D. de Injur. & hoc pertinet l. 1. §. 12. D. de vi & vi armat.*

VI. Non

VI.

Non autem competit hoc discipulo adversus Præceptorem, nec filio adversus parentem (a) nec subdito adversus Magistratum (b) injuriosa verba proferentes.

(a) Etenim illis, quibus ius corrigendi competit & castigandi, debeturque reverentia, resistere non licet *l. 3. C. de P. P. l. 1. C. de Emend. propinq. Schneide W. §. patitur autem, Instit. de Injur. n. 8. lit. a. in marg.*; modò ratione agatur cum filio vel discipulo, nec liquidò appareat injuriandi & diffamandi ultrà modum animus, sed castigandi & corrigendi; secus *Retorsio* filio vel discipulo denegata non videtur *arg. l. 35. D. de Relig. & sumpt. fun. l. 3. de J. & J. & l. 25. D. de procur. (b) l. 13. §. 6. l. 15. §. 39. & l. 33. D. de Injur. & ratio* insuper est, quia pro Magistratu præsumitur, quod non animo injuriandi sed corrigendi gratiâ sui que ratione officij injuriosè quippiam, adversus subditum dixerit vel fecerit *l. 2. C. de offic. Civil. judic. Harprecht. d. l. n. 190.* nisi privato odio sicque sine ullâ justâ causâ injuriam irroget, quo casu injuriâ affectus à *Retorsionis* remedio exclusus minimè videtur *per LL. in præcedenti quest. adductas* huc facit & *l. 32. D. de Injur. l. 29. §. 7. D. ad Leg. Aquil. ubi Injuriarum Magistratum conveniri posse disertè respondit Ulpian.*

VII.

Finis & effectus Retorsionis est, ut quis injuriarum actionem evadat (a) sumptibus parcat & per eam honorem famam atque existimationem conservet (b)

(a) *Retorsione* semel interpositâ, ab eâ ad actionem injuriarum non datur regressus. Nam non incogniti juris est; quando ex uno facto duo vel plura competunt juris Remedia ad unam eandemque rem sive finem tendentia, unum perimere alterum *l. 53. in pr. de O. & A. l. 43. §. 1. D. de R. J.* quæ nostra sententia pluribus tum rationibus, tum juris textibus videatur munita *apud Berlich. part. 5. Concl. 64. n. 38. & seqq. aliosq. ab ipso citatos, quibus addatur*

B

Dn. D.

Dn. D. Struvius Juris in Salanâ P.P. Exercitat. 39. de privat. delict. tb. 26.
 B. (b) qui cum *Philosophis Cynicis* sentiunt, dubio procul omnem
 prorsus honorem contemnunt, parumque referre putant quid po-
 pulus de nobis vel dicat vel sentiat. *Cynici enim Philosophi, ut est a-*
pud Laërtium, omnem honorem negligebant & sensa hominum &
 dicta, licet sibi ignominiosa nihil curabant: verum nos rectius e-
 docti scimus, honorem non solum magnificiendum: sed etiam
 acerrimè & quantum legitimis fieri modis potest, defendendum
 esse. Nam crudelis est qui famam negligit suam. Et quid ho-
 nesto viro sanctius, quid antiquius esse posset, quam ut sartam te-
 ctam integramque existimationem suam retineat ac conservet?
 fama hominis omnium rerum est pretiosissima & inæstimabilis.
l. Si in duabus 104. D. de R. 7. & verissimum est hoc Romanorum elo-
quentissimi Ciceronis lib. 1. offic. iudicium: negligere quid de se quis-
que sentiat, non solum arrogantis, sed etiam omnino dissolu-
ti est.

IIX.

In continenti injuria retorqueatur necesse est (a)
 & cum moderamine (b)

A. (a) Nam sicut offensio armata armis in continenti rectè
 repellitur: ita offensio verbalis licitè regeritur *l. 3. §. 9. ibi. sed*
hoc confestim l. 17. D. de vi & vi arm. l. 12 §. 1. D. Quod met. causâ.
Gail. 2. observ. 102. n. 5. Modestin. Pistor. Consil. 3. incip. Solche fragen
n. 34. vers. welche alhier nicht sein kan & num. seq. vol. 2. Vid. l. c. Excel-
lentiss. Dn. D. Taubmann. confestim autem & illa propulsatio fa-
 cta dicitur, cum ab injuriato commodè fieri potuit, *l. 2. §. 42. D. ad*
Scet. Tertyll l. 2. D. de Calumniat Bocer. in Comment. l. un. C. de famos. li-
bell. c. 5. n. 46. Hodiè Retorsio plerumque per schedam aut libellum
 expeditur, in quo non solum certa persona exprimenda, sed et-
 iam certa & specialis injuria *l. 7. in princ. D. de Injur.* non omis-
 sâ circumstantiâ temporis & loci arg. *l. 3. in pr. vers. utiq; enim D. de ac-*
cusationibus Gail. 1. observ. 64. n. 1. quem deinde libellum verbali
 injuria pulsatus rite confectum vel ipse injurianti tradit vel per a-
 lios legitimè insinuandum mittit. *Dubium hic oritur: utrum scil.*
 libell.

J.

Libellus rite intelligatur conceptus, in quo quidem certa ab initio persona, quæ injuriam intulit, exprimitur nominatim; postea verò generaliter saltem subijcitur *mentita*? Aff. Satis enim expressè, quicquid ex præmissis concluditur, dictum censetur l. 1. D. *Quod met. caus. Tutissimus* omnium reputatur *retorquendi* modus, quando injuriam passus Notarium, post exhibitionem Libelli propriâ manu à se subscripti, & post lectionem præsentibus testibus ad id convocatis palàm à Notario factam, requirit sive rogat, ut iisdem alijsque testibus adhibitis eundem Libellum injurianti legitimè insinuare, illius responsum diligentè notare & publicum Instrumentum super his omnibus conficere atque injuriato asservandam tradere velit *Harprecht. d. l. n. 29.* Hic Notarius, licet sit persona publica §. 3. *Instit. de Adopt. l. 32. C. de Epic. & Cler. & judex chartularius seu ordinarius l. 1. & ibi. gl. D. de Judic. Gail. 1. observ. 1. n. 13.* ac idcirco officio suo nemini id petenti ac postulanti deesse debeat l. 4 §. 8. D. de damn. infect. l. 4. de Collat. Feud. patrimonial. tamen illi, cui retorsionem alterius nomine insinuavit operam suam in eodem Retorsionis actu sive negotio præstare non potest l. 1. & l. judex 55. D. de re judic. (b) aliàs si moderamen excedit *Retorsio* & quis verbis injuriis provocatus alijs verbis injuriis diversum delictum spectantibus injuriantem reverberet, *Retorsio* & Compensatio injuriarum non valet, sed uterq; de Injuriam sibi illatam agere potest *Modest. Pistor. d. l. n. 34. vers. Und hierauff haben wir &c. vol. 2. Mynsing. Cent. 5. observ. 17. n. 3.* Hinc injuriâ affectus scribere equidem in schedâ à Notario insinuandâ & dicere potest, injuriantem mentiri d. l. 25. D. de proc. Wesenb. in *æ. de Injur. n. 8.* adjicere etiam sicut fur & latro vid. *Excellentissimis Dn. D. Suevus Præceptor meus & Patronus honorandes d. Velit. tb. 14. lit. G.* quia hæc verba ad unum eundemque effectum tendunt *Mynsing. d. l.* minimè autem ita: *Tu mentiris tu fur, tu latro;* Illo quippe casu conviciatori crimen furti vel latrocinij objiceretur assertivè, quod prohibitum vid. l. 5. D. de publ. judic. l. 19. C. Qui accus. non poss. neque injuriam verbalem armis & verberibus repellere l. nihil tam naturale 35. D. de R. 7. Hinc piè colligunt Dd. illum, qui convicijs proscissus aut verbali injuria laceratus est, non posse pro honoris famæq; conser-

B.

B 2

vatione

uatione impunè verberare, vulnerare vel planè interficere l. 45. §. 4. D. ad L. Aquil. Non enim quævis propulsatio quæ licentius effusa in ultionem degenerat, sed tantum defensio moderata jure legitur permilla l. 1. C. unde vi; levius tamen punitur & lenius ejusmodi moderamen excedens l. 38 §. 8. vers. Quia plus fecerit D. ad L. Jul. de adult. Theod. in Colleg. Crimin. d. sp. 11. th. 4. lit. e. An autem per famosum libellum seu Pasquillum injuriâ affectus Retorquere possit injurias est certè quod disceptatur? Verum in hac ipsa thesi lit. a jam dictum est Retorsionem, quæ non contra certam aliquam personam fuerit concepta, non esse validam. E. per famosum Libellum seu Pasquillum injuria retorqueri non poterit; famosus enim Libellus occultato nomine componitur, ceteroquin talis propriè nequit haberi Carpz. Jurisp. R. F. S. part. 4. Const. 44. desin. 7. n. 4.

IX.

Retorsio post annum à tempore illatæ Injuriae interponi non potest (a) nec datur retorsio retorsionis (b)

- A. (a) Ratio evidens datur, quia verbalis injuria annuo spatio extinguitur l. 5. C. de Injur. Schultz. in Synops. Instit. tit. de Injur. ^{lit.} hinc sublata & cessante causâ, cessat etiam effectus. Etsi Christus 26. sub fine de Jurejurand. Q. Ecquid annus iste, quo injuriam verbalem præscribi diximus, continuus sit an utilis? Posterius aff. per text. in l. cum sex menses 55. D. de Edilit. edict. l. 14 §. 2. D. Quod met. caus. l. 1. §. 39. de vi & vi arm. Schultz. d. l. (b) Ubi enim offensio est licita, ibi illicita est defensio l. 5. C. de Jure Fisci l. 4. C. de his qui ad Eccles. confug. vid. Berlich. l. c.
- B.

Corol.

Corollaria.

I.

Actio injuriarum ad palinodiam sive recantationem civilis est.

II.

Bon. fid. possessor omnes fructus naturales & Industriales suos facit.

III.

Ascendentes in pari gradu existentes descendantibus absque ullâ bonorum distinctione æqualitèr succedunt.

IV.

Fidejussor à Creditore cessionem actionum etiam post factam solutionem rectè petit.

HUIC SIT HONOR SOLI CUI TRIBUENDUS HONOR!



Non satis esse putas studijs pallefcere privis,
Sed gestis etiam defendere in æde Themistos
Materiem haud infœcundam, plaudente Ca-
thedrâ.

Et rectè; Quid enim multas evolvere leges
Prodesset vobis, usus si nullus earum?
Tu sic sanciti geminata volumina juris

B 3

No-

Nocturnâ versare manu, versare diurnâ (dè.
Perge, animo dilectè meo GODOFREDE, subin-
Sicres priva feret, feret & Res-publica fructū:
Sic patriæ incrementa ferent pomœria terræ.

Amoris ergò deproperab.

M Johann. Andr. Quenstedt S. Theol. Prof.
Publ. Extraord. & Coll. Phil. Adj.

Præstantissimo

DN. Respondenti Contrerraneo suo de Jure
Retortionis disputanti,

Sic monstrasse decet, Themidos qui castra secutus
Quid sis lucratus, quid pretij tuleris,
Quando, *num licitum verbis opponere verba,*
Quæ jacet injustè lingua proterva, doces.
Ergò tibi grator; captum modò currere cursum
Majora & jam Te, perge, brabœa manent.

Hæc

properans bon. affect.

ergò

apponere voluit

Busso Maschovius.

Laus

L Aus est iniquæ mittere jurgia
 Contentionis; Laus, studium boni
 Aequique propagare, & almæ
 Justitiæ stabilire regnum.
 Ast criminosis quisquis amat probris
 Justum & tenacem propositi virum.
 Ausu maligno lancinare,
 Flagitio furiosiori
 Immane quantum discrepat à bono!
 Talem profectò tartarea domus
 Agit Tyrannus, qui venenum
 Ingerit hoc animis malorum.
 Nunc lingua verum nescia proloqui
 In immerentem Spicula si vibret,
 Ut nostra sunt fœcunda morum
 Pessima secula perditorum,
 Quidnam meorum Prime sodalium,
 Ardens Themistos Cultor & Impiger
 Suades agendum GODOFREDE?
 Quaeso quid in medium novelle,
 Profers sacerdos? Scilicet optimum
 In eruditis hoc thesibus doces,
 Et ius Professoresq; Juris
 Rite sequi, maculasq; linguae
 Injuriose legitimo modo
 Arcere. Quas dum publicitus theses

Amice,

*'Amice, defendis favente,
Gratulor ex animo, Themiste,
Sublimiores quotidie impetus
Fac auspicêris; nil erit invium
Conatui tuo, nec unquam
Sumptus inanis erit laborq.*

*Paucula hac suo Hervvigio
scripsit*

JOHANNES Jüterbock SS.
Theol. Stud.

F I N I S.




00 A 64/14

ULB Halle


3

002 928 094



12

10 17



B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

O JURIDICA

RSIONE,

Quam

FICO JCTORUM OR-

icoreâ annuentibus,

PRÆSIDIO

COSELII J. U. D.

oris nec non Curia Electoralis
ræceptoris & promotoris
enerandi

proponit

aminandam

ra Jctorum

S Herwig Ascaniensis.

Novembris.

TEBERGÆ

ph. MICHAELIS Wendt/

M DCXLIX.

XVIII